

lis immutata, deflectatur omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent.

§. 1. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in ritum Slavo-Latinum, quem fel. rec. Praedecessor Noster Joannes Papa VIII. fideli ac religiosae nationi Illyricae una cum idiomate, quod nunc Slavum litterale appellant, et characteribus, quos Hieronymianos dicunt, adhibendum concescit, et successivis temporibus recol. memor. Praedecessores pariter Nostri Urbanus VIII. et Innocentius X., dum Missale et Breviarium eodem idiomate et characteribus excudenda typis tradiderunt, iteratis vicibus confirmarunt, nonnullos irreperere abusus apost. Sedis intentionibus institutisque contrarios, perniciosa aliquorum libertate, qui audient missas, insertis orationibus et precibus Slavo vulgari sermone conscriptis, componere, initium quoque evangelii secundum Joannem et psalmum Lavabo eadem vulgari lingua latinisque characteribus impressa nulla desuper a Nobis facultate et approbatione praebentia sibi aliisque Sacerdotibus legenda proponere; idcirco ne hujusmodi abusus, qui eundem ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur, postquam alii Nostris editis Constitutionibus, nimur quinquagesima septima, cui initium: *Etsi pastoralis* *), et octogesima septima, incipiente: *Demandatam coelitus* **). graecorum rituum conservationi et integrati pro Italo - Graecorum et Graeco - Melchitarum nationibus abunde providimus; eamdem nunc sollicitudinis Nostrae curam ad Illyricam nationem convertentes supra, qua fungimur, apost. auctoritate, volumus,

*) t. III. p. 243.

**) Bull. r. t. XVI. p. 94 et 166. t. III. p. 290.

praecipimus atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes et Sacerdotes tam saeculares quam cujuscumque ordinis aut instituti regulares, qui ritum Slavo-Latinum profitentur, in augusto altaris Sacrificio et in horis canonicas aliisque divinis officiis persolvendis ac obeundis Missalia, Tabellas et Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propaganda Fidei, quaeque imposterum ibidem imprimentur, non sine praeviis opportunis revisionibus et approbationibus aliisque diligentias hucusque adhibitis et deinceps adhibendis a viris et Slavo - Latinum idioma ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura anteacta saecula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant et teneantur, utque in posterum nemo ex praedicto Clero in Missis celebrandis aut in divinis officiis persolvendis orationes et preces, quae Nostra et apost. Sedis auctoritate examinatae non fuerint et approbatae, recitare aut quoquo modo adhibere audeat seu praesumat.

§. 2. Quocirca VV. Fratribus Nostris Archiepiscopis et Episcopis, in quorum dioecesis ritus Slavo - Latinus viget, committimus atque injungimus, ut pro zelo et sollicitudine, qua tenentur concreditis sibi ovibus praeesse et Sacrorum Ecclesiae Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque hujusque Nostrae voluntatis ac districti praecepsi executionem curent atque urgeant ac novitates omnes irreptosque quolibet abusus eliminent, adhibitis efficacioribus remedis a Sacris Canonibus in pervicaces et refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patientur.

§. 3. Decernentes has Nostras literas et in eis contenta hujusmodi semper et perpetuo firma, valida et efficacia

existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Constit. Bened. XIV. die 17. Aug. 1754.

(Bull. r. t. XIX. p. 112.)

20) Syriacus.

Vd.: *Ritus graecus* (praecip. Constit. Benedicti XIV.: Allatae diei 26. Julii 1755).

ROCHETTUM.

1) Abbatis.

Abbati Ord. s. Benedicti non convenire usum rochetti.

n. 636 ad 2 die 6. Jun. 1626.

Abbati Canonicorum *Regul. Later.* cum rochetto et mantellita tantum in Vesperis solemnibus in Ecclesia s. Mariae in Porto assistere licet.

n. 2597 die 3. Sept. 1672.

2) Abbatis saecul.

Turritana.

Proposito in Congregatione S. R. supradicto supplici libello, eadem S. R. Congregatio censuit modernum Abbatem saecularem posse uti rochetto loco superpellicei, in casibus, in quibus regularis jam utebatur superpellico. Die 23. Jan. 1621.

(Anal. J. P. 1863 p. 162.)

3) Archiepiscopi.

Cf.: *Mozzetta*.

Archiepiscopus uti potest et debet rochetto *discooperito*, quandocunque voluerit, excepto, quando simul cum Nuntio Sedis ap. iter habebit vel ad eum invisendum accedit.

n. 44 ad 1 et 2 die 16. Febr. 1593.

De rochetto Archiep. in visitatione publ. et priv., vd.: Praeses (cap. I. et II.).

4) Archiepiscopi Regularis.

Ad dubium: An Archiepisc. Turritanus regularis et Ord. s. Augustini possit uti rochetto violaceo? S. C. resp.: Negative.

Vd.: *Regul. Episcop. (habitus)*.

5) Canonicorum Cath. et Colleg.

Vd.: *Cappa Canonicorum Cath.* (praecipue decr. n. 4536, 4946); *Mozzetta Canon. Cath.*; *Canonici* (administr. Sacramentorum); *Process.* (Canon. Cath. et Colleg. par.; Clerus infer. parat.).

Maceraten.

Regulari observantiae insistens Canonicus Fiorentini civitatis Maceraten., ne in minimo quidem remittatur studium ecclesiasticae disciplinae, quae semper inviolabiliter et accurate servanda est, S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit nimirum:

1. Utrum Canonicus, qui per apostolicas literas in forma Brevis expeditas favore sui Collegii Canonicorum gaudet usu rochetti et mozzette etiam coram Pontifice, illis uti valeat in Sacramentorum administratione et verbum Dei anunciendo?

2. Et quatenus negative, utrum superpelliceum rochetto imponere valeat iisdem in functionibus?

Et S. eadem Congreg. ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in ordinario coetu, dubiorum relatione auditam ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, respondendum censuit

Ad 1.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, sed in propria tantum Ecclesia vel in aliis Ecclesiis, ubi adest usus deferendi capam vel mozzettam juxta decretum in una dubiorum diei 31. Maii 1817.

Ad 2.: Affirmative, si Capitulum in choro utatur superpelliceo tempore aestivo, secus negative juxta pae-

dictum decretum, sed cotta tantum et stola utendum juxta Rituale romanum tit. 1. n. 7.

Atque ita decrevit ac servari mandavit.

n. 4683 die 7. Apr. 1832.

Ad dubium: Utrum possint et ipsi Canonicci, qui ex antiquo more mozzetta de rocchetto insigniti sunt, uti rocchetto in administratione seu confectione Sacramentorum et Sacramentalium, quum Rmus Episcopus usum rocchetti generaliter et pro majori seminario recenti praeceperit seu saltem probaverit, et pro omnibus insuper suae dioecesis Presbyteris, etiam in Sacramentorum administratione se toleraturum esse voto et scripto declaraverit, quidquid in contrarium faciant Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanorum, Missale et Pontificale, licetque nulla in dioecesi Cenomanensi antiqua aut usquedum generalis pro ea sacrae liturgiae derogatione extiterit consuetudo?

S. C. resp.: Rocchettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum ac proinde tum ad ea administranda tum ad suscipiendam primam tonsuram et minore; ordines necessario superpelliceo utendum.

Atque ita declaravit die 10. Jan. 1852.

(Anal. J. P. 1852 p. 1432.)

Pius PP. VI.

Quanta cum utilitate ad veneracionem majestatemque divinarum rerum in Christifidelium animis ingerendam conducant ipsa sacrorum indumentorum vestiumque ornamenta, experientia magistra compertum habens Sacrosanta mater Ecclesia instituit, ut non solum ministri in diversos ordines distributi praecipuis unicuique ordini et ministerio congruentibus vestibus uterentur, verum etiam, ut Clerici certis vestibus induantur.

et ministerio congruentibus vestibus utantur, verum etiam, ut Clerici, dum canonicas horas persolvunt, certis vestibus induantur.

Quamobrem in majorem divinae gloriae cultum et in ministrorum reverentiam cessurum fore confidentes, si insignia illa, quae alii Ecclesiarum Canonicis concessa sunt, Ecclesiarum magis conspicuarum Canonicis imperitentur, grato libentique animo, cum a Nobis petitur, elargimur. Cum autem pro parte dilectorum filiorum Archipresbyteri et Canonicorum Collegiae Ecclesiae s. Joannis Baptiste loci de Cantiano Eugubinae dioecesis Nobis expositum fuerit, quod ipsi nullo, excepta almutia, alio sacro indumento potiuntur, eaque propter Archipresbyteri et Canonicorum praediti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur Archipresbyterum et Canonicos praeditos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati modernis et pro tempore existentibus Archipresbytero et Canonicis Collegiae Ecclesiae hujusmodi, ut loco superpellicei et almutiae, quae hactenus deferre consueverunt, rocchettum et mozzettam sericam violacei coloris subsutam cum nodulis et fissuris coccinei coloris, tam in Ecclesia praedicta ejusque choro et capitulo quam extra eam in processonibus aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque gestare illisque ut libere ac liceat possint ac valeant auctoritate apost. tenore praesentium concedimus ac indulgemus, ac Canonicos praeditos desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari respective nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

episcopi suffr.).

nullatenus posse ac irritum et inane, si super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae 28. Jan. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 364. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Quanta cum utilitate ad veneracionem majestatemque divinarum rerum in Christifidelium animis ingerendam indumentorum vestiumque ornamenta ex usu compertum habens sacrosanta mater Ecclesia instituit, ut non solum ministri in diversos ordines distributi, praecipuis unicuique ordini et ministerio congruentibus vestibus uterentur, verum etiam, ut Clerici certis vestibus induit canonicas horas persolverent. Quamobrem in majorem divinae gloriae cultum et in sacrorum ministrorum reverentiam cessurum fore confidimus, si insignia, quae aliarum Ecclesiarum Canonicis concessa sunt, Ecclesiarum magis conspicuarum et praesertim Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, grato libentique animo, quoties a Nobis petitur, elargimur.

Cum itaque pro parte venerabilis fratris Josephi Mariae Episcopi Feretranii ac dilectorum filiorum Capituli et Canonicorum suae Cathedralis Ecclesiae Nobis expositum fuerit, quod ipsi non secus ac Canonicorum Collegiae Ecclesiae s. Agathae ejusdem civitatis Feretranae, immo ipsi quoque Mansionarii seu Beneficiati ejusdem Cathedralis Ecclesiae sola adhuc almutia usi sunt, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in promissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur,

Nos igitur memoratum Josephum Mariam Episcopum neconon dictum Capitulum seu Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, suppli-

cationibus hujusmodi inclinati, moderni et pro tempore existentibus Canonicis Cathedralis Ecclesiae hujusmodi, ut loco superpellicei et almutiae, quae hactenus deferre tantum consueverunt, rocchettum et mozzettam sericam violacei coloris subsutam cum nodulis et fissuris coccinei coloris, tam in Ecclesia praedicta ejusque choro et capitulo quam extra eam in processonibus aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque gestare illisque ut libere ac liceat possint ac valeant auctoritate apost. tenore praesentium concedimus ac indulgemus, ac Canonicos praeditos desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari respective nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Datum Romae die 28. Jun. 1791.

(Bull. r. Continuatio t. IX. n. 39.)

6) Canonicorum regul.

Novarien.

Quae situm fuit a S. R. Congregatione declarari: an licet in processonibus publicis Canonicis regul. Lateranensis uti rocchetto cum superpelliceo? Et S. C. resp.: Licere.

Dic 28. Aug. 1628.

(Anal. J. P. 1863 p. 206.)

7) Episcopi.

Vd.: Mozzetta; Vestis Episcopi.

8) Episcopi Suffr.

Cf.: Mozzetta.

Episcopus Suffr., qui in civitate sui Metropolitani de ordine SSmi commoratur, non valens in propria dioecesi commorari, potest in dicta civitate deferre rocchettum sub mantelletta

Ac Archipresbyterum et Canonicos praeditos desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari respective

occasione celebrandi Sacrum et visitandi cives ipsius civitatis. n. 3824 ad 1 die 22. Mart. 1710.

9) In Processione.

Vd.: *Processio* (Canonici Cath. et Colleg.; Clerus infr. parat.).

10) Quibus vetitum?

Vd.: *Cotta* (decr. n. 3885); *Administratio Sacramentorum*.

Curent Caeremoniarum Magistri SS. D. N. ne a regularibus praesertim Presbyteris seu Clericis etc. adhibeatur loco superpellicei rocchettum seu cotta cum manicis angustis. n. 1742 die 14. Nov. 1654.

Episcopus Vigevan. ut *visitator* hospitalis s. Matthaei, quod non est sub jurisdictione ordinarii Papiensis, sed immediate sub Sede apost., nullo modo potest uti rocchetto discoeperto in via. n. 2495 ad 1 die 5. Oct. 1669.

Presbyter unus ex cappellaniis Oratori B. V. M. a carceribus illorumque prior deferre non valet in functionibus ecclesiasticis quam infra tam extra dictum Oratorium rocchettum et mantelletum. n. 3909 die 14. Maii 1718.

Ad dubium: an parochi Ravennatenses ap. privileg. suffulti gestandi in ecclesiasticis functionibus et publicis supplicationibus sive intra sive extra eorum curae commissas Ecclesias rocchettum loco cottae sub mozzetta violacea et stola auro intexta possint uti rocchetto etiam in Sacrament. administratione, benedictionibus aliisque functionibus, in quibus ex rubricae praecerto Sacerdos cottam assumere debet?

S. C. resp.: Negative et in casu solam cottam cum stola esse adhibendum. n. 4591 die 17. Sept. 1822.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Jure merito quaerebantur Cathedrales Ravennatensis Canonici de parochis, qui nuper ditati privilegio commutandi sub mozzetta et stola rocchettum loco superpellicei, quo prius utebantur in supplicationibus aliisque functionibus publicis sive intra sive extra eorum curae commissas Ecclesias, arbitrarie ampliantes Indultum illud, perperam extenderunt etiam ad Sacramentorum administrationem. Non enim ipsis invident honorifici indumenti decus, sed silentio tegere nequeunt abusum privilegii praetextu inductum famigeratis Ecclesiae legibus repugnantem. Ritualis romani rubrica expresse jubet praecepsit verbis, *ut Sacerdos in omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus et stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit*: latamque legem limitat dumtaxat: *nisi in Sacramento poenitentiae ministrando occasio vel consuetudo vel locus aliter suadeat*: ita etiam plures provinciales synodi, praesertim vero s. Carolus Borromaeus, qui agens in Concilio provinciali I. de iis, quae ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent, praecepsit *ut Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper superpelliceum et stolam adhibeant*: et instructionibus de Sacramentorum administratione parochis praesertim datis: *in omni Sacramentorum administratione semper superpelliceum decens et stolam adhibebit*. Hinc S. R. C. nec Canonici Cathedralium indulgendum esse duxit administrare Sacraenta cum cappa et mozzetta seu solo rocchetto, sed ubique semper superpelliceum adhibendum fore sancxit. Ita in una dubiorum Urbis 12. Julii 1628, Syracusana 2. Aug. 1709, Pisauren. 2. Dec. 1750, ac tandem in una Urbis s. Mariae in Cosmedin 19. Junii 1773. Parochi

igitur Ravennatenses exuere rocchettum, mozzettam dimittere debent soloque uti superpelliceo cum stola, dum administratur sunt Sacraenta, veluti S. R. C. proposito dubio respondit. Indultum quippe ipsis est, ut sub mozzetta vice superpellicei deferant rocchettum; haud vero concessum, ut eo utantur in Sacramentis administrandis, aut rocchetto cottam superimponant. Permissum id est Canonicis dumtaxat, qui habent usum cappae magnae; nam haec commutatur cum cotta tempore aestivo, in publicis supplicationibus etc.; quamobrem iidem in propria Ecclesia, quum ex praescripto ritualis et decretorum nequeant cum cappa vel cum solo rocchetto Sacraenta administrare liceat possunt, imo debent cottam assumere, quin rocchettum dimittant.

Albinganen.

Quaesivit Episcopus: An protonotariis in Ecclesiis, in quibus sunt parochi vel canonici aut beneficiati, licet uti rocchetto dum divinis assistunt? Et Sac. Congreg. respondit: quoad parochos non licere in functionibus parochialibus; quo vero ad canonicos et beneficiatos pariter non licere, si voluerint fructos suos facere et quotidianas lucrari distributiones.

Die 23. Jan. 1644.

(Anal. J. P. 1863 p. 298.)

11) Regularium.

Vd.: *Superpell. Regul.; Rocchettum* (abb.; Quibus vetitum?).

12) Usus.

Massen.

Quum superiori anno 1846 a S. C. Rmorum P. S. Conc. Trid. Interpretum ad hanc S. R. C. transmissae fuerint

preces Rmi Massen. Ep., quis exponebat quod in Principatu Carrariensi mos vigeat, ut Clerus universus, ne exceptis quidem parvulis Clericis, Rocchetto utatur et hoc fortasse, quia olim jurisdictioni Canonicorum Reg. S. Frigidiani subjectae erant Ecclesiae omnes Principatus ipsis: ac proinde hujus S. Apost. S. oraculum exquirebat, num adhuc sibi super hoc usu silentio insistendum sibi sit, ne turbas excitet, siquidem admodum antiqua consuetudo isthaec perhibetur, vel potius teneatur hunc usum tollere, deficiente privilegio? De praemissis a subscripto Secretario fideli instituta relatione in ordinariis S. R. C. Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in voto fuere: „Non esse inquietandos.“

Atque ita rescribendum mandarunt. n. 5072 die 27. Febr. 1847.

Auditoribus causarum s. Palatii ap. conceditur delatio Rocchetti etiam in accessu ad capellas, functiones etc. et in recessu, vd.: *Const. Bened. XIV.* die 10. Apr. 1743.

(Bull. r. t. XVI. p. 158.)

13) Usus Romae.

Benedictus PP. XIV.

Cum de mandato D. N. Benedicti Papae XIV. propositi fuerint in Sac. Congr. Caeremoniali nonnulli usus, qui de recenti irrepserunt, inter quos est, quod Praelati rocchetti usum habentes, illo indiscriminatim induit per Urbem incedant ac insuetis indebitisque lemniscis, vulgo *Fiocchi*, equos proprii currus exornent: brevioribus insuper nigris vestibus amicti Ecclesias adhuc lucente die ingrediantur Sacramentum publice expositum veneraturi vel recurrentibus Sanctorum solemnitatibus cultum adhibituri atque debita

erga Sacrum Cardinalium Collegium publica visitationis Officia, aliquando non expleverint, tam in prima Praelatitii habitus susceptione vel in nova dignitatum aut munerum assecutione, quam erga eosdem Emos extra Urbem degentes, dum per civitates, ubi ipsi resident, Praelati iter agentes, quamvis tempus congruum id permitteret, eos invisere non fategerint,

Eadem proinde Sac. Congr. ad eos omnino eliminandos enunciatis die et mense ita decrevit:

I. Nulli Praelatorum, cuiusvis Ordinis aut Collegii fuerit, qui Rocchetti praerogativa potitur, imposterum liceat eodem induito per Urbem incedere, cum hoc gestare unice ex Summorum Pontificum munificentia una cum lemniscis nigris ad equos proprii currus appensis, praecipuorum suorum Officiorum ratione ac praestantia, permisum sit Almae Urbis Gubernatori Vice-Camerario, Generalibus Reverendae Cameræ Apostolicae Auditori ac Thesaurario, necnon utriusque Sacri Palati Apostolici Praefecto, atque insuper ob distincti habitus accessionem, mozzettae scilicet a san. mem. Benedicto XIII. quatuor Patriarchis, Constantinopolitano videlicet, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano concessae, dum mantelletto ac predicta mozzetta ornati processerint.

II. Praelati autem, qui rocchetti praerogativa fruuntur, tunc tantum sument illud per scalas Palatii Pontificii, Apostolicam aulam vel in antecedenti cubiculo, illud Congregationum aut collegialium actionum, quae in eodem palatio cum rocchetto fient, ingressuri; necnon quando primum in promotione Sacro Senatui de novo adscriptos et iterum Cardinalatus insigniis decoratos eos in suis domibus visitabunt; quoties quemcumque ex DD. Cardinalibus primo invisent vel Cardinali rocchetto

similiter induito in comitatus obsequiis erunt, sive domi fuerit sive extra: Conveniendo insuper cum oratoribus principum, qui aula gaudent regia, publica solemnii pompa procedentibus et in actu pariter dumtaxat cujuscumque alterius publicae vel privatae actionis, in qua rocchetti usus, dignitatis vel muneris ratione eis competere potest.

III. Jussit autem, ut Lemnisci, vulgo Fiocchi, aut quid similis ornatus, quocumque praetextu, titulo, colore aut forma in Ephippiis equorum Praesulum currus raptantium non apponantur. Et si forte apposita fuerint ornamenta, omnino amoveantur.

IV. Nulli praeterea Praelatorum, nisi praelatitio habitu induito, publicas Ecclesias, in quibus SS. Sacramentum Fidelium venerationi fuerit expositum vel alia quaecumque solemnia inibi peragantur, diurno tempore ingredi liceat.

V. Statuit insuper S. Congregatio; ut decreto alias per eam emanato die scilicet 26. Aprilis 1701 et a Sa. me. Clemente XI. approbato, nempe: Praelati usum rocchetti habentes eodem induiti Emos Dominos nuper creatos visitabunt, quos denuo cum rocchetto, ut supra, visitabunt, post suscepta Cardinalatus insignia, adderetur, quod ipsi Praelati ejusdem visitationis Officium explere teneantur, non solum statim ac praelatitium sumpserint habitum, sed etiam cum aliqua distincta nova dignitate vel munere fuerint insigniti et occasione publici alterius Officii sibi ab Apostolica Sede collati, pro quo explendo ab Urbe sint recessuri et quando illo adimplete in Urbem redierint permansuri.

VI. Utque suprema Cardinalatus dignitas semper et ubique debito non fraudetur honore, decrevit itidem ea-

dem Sac. Congr., quod Praelati tum privata quam publica causa itinerantes, dum eos per civitates, in quibus aliquis S. R. E. Cardinalis adfuerit, transire acciderit, erga ipsum praeferatum visitationis Officium, prout tempus et circumstantiae ferent, explore non praetermittant. Et facta per Secretarium SSmo Dom. N. Benedicto Papa XIV. de praemissis omnibus relatione, idem SS. D. N. predicta decreta non solum approbat sed inviolabiliter praecepit servari ac peculiariter Collegiis omnibus Praelatorum jussit significari, ne sub quovis praetextu, tolerantia, causa vel colore, quae superius praescripta sunt, secus interpretando variationi vel omissioni subjaceant, sed omnimode, prout exprimuntur, ab omniibus servanda mandavit et quatenus opus fuerit, pro eorumdem decretorum executione ad omnia alia necessaria et opportuna remedia, se deventurum expressit.

Hac die 23. Nov. 1742 SS. D. N. Pontificatus anno III.

T. Episcopus Ostiensis et Velternen. Card. Rufus Sac. Collegii Decanus, Vice-Cancellarius, Praefectus.

Loco + Sigilli.

Ignatius Reali, Secretarius.
(Anal. J. P. 1857 p. 1927.)

14) Vestis sacra non est adhib.

Rocchettum non esse vestem sacram adhibendam in administrat. Sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda tum ad suscipiendam primam tonsuram et minor. Ordines necessario superpelliceo utendum.

n. 5165 ad 5 die 10. Jan. 1852.

S. ROCHUS.

(Fest. et Officium.)

Concessum est Officium et Missa pro die festo s. Rochi pro Oppido et

populo Matriti et pro omnibus Ecclesiis in hon. dicti Sancti dicatis ubique locorum, *juxta tamen rubricas.* n. 822 die 20. Junii et 26. Nov. 1629. (Vd. *infra*. n. 3301.)

Ecce concedendam Missam et Officium in die festo s. Rochi de Comm. c. non p. in iis tamen locis, ubi absunt Ecclesiae in ejus honorem aedicatae, servatis rubricis Breviarii. n. 825 die 4. Julii 1629; n. 2364 ad 4 die 13. Febr. 1666.

Supradictum decretum uti generale servandum esse ubique et in toto Orbe itaque etiam in locis, in quibus deficiant requisita praescripta in dicto generali decreto. n. 1167 die 2. Julii 1639.

In Ecclesia s. Agathae Transtiberim Urbis relictum esse annum legatum cum onere unius Missae s. Rochi dicenda in die suea festivitatis 16. Aug. impedito Officio duplice s. Hyacinthi, ultra quod illius Missa reperitur prohibita extra ipsius Ecclesiam.

S. C. concessit, ut satisfieri posse voluntati Legantis Missa dicta Hyacinthi. n. 2555 die 24. Julii 1671.

Ad dubium Cleri civitatis Boven., sub quo Ritu debeat celebrari Missa et recitari Off. s. Rochi in Ecclesiis titularibus ejus. Sancti tanquam titularis?

S. C. resp.: Juxta rubricas titularibus competentes. n. 3184 die 18. Junii 1698.

De s. Rocho, licet ejus festum servetur ex devotione, attamen non posse recitari Officium et celebrari Missam, nisi in propriis Ecclesiis eidem Sancto dicatis ex concessione S. C. 4. Junii 1629 et tunc dicendum esse Officium sub Ritu dupl. 1. cl. n. 3301 ad 10 die 10. Jan. 1693.

(Vd. *supra* n. 822.)

In civitate et dioecesi Bossanensi continuari potest recitatio Officii sub

Ritu dupl. maj. s. Rochi, qui colitur ut patronus minus princip. n. 4355 ad 8 die 23. Mart. 1771.

Matriti.

Nomine populi et oppidi Matriti supplicavit D. Didacus de Zuniga extendi Officium et Missam jam concessam pro die festo s. Rochi Ecclesis in ejus honorem dicatis etiam ad eremitoria pariter ipsius nomine erecta. Et Sac. Cong. censuit concedendum die 26. Nov. 1629 facto verbo cum Sanctissimo. Et Sanctissimus annuit declarando decreto jam emanatum intelligi debere, ut possit fieri festum cum Officio et Missa de communi confessorum non pontificum in Ecclesiis dumtaxat et eremitoris habentibus requisita Ecclesiarum in honorem s. Rochi dicatis, juxta rubricas breviarii romani, non autem quod ultra Ecclesiis et eremitoria, ut supra, idem fieri liceat per loca et civitates, ubi adsunt Ecclesiae vel eremitoria, et ita servari mandavit.

Die 26. Nov. 1629.

(Anal. J. P. 1863 p. 216.)

Congregationis Fuliensium.

Procurator generalis Congregationis Fulien. supplicat responderi, an decretum Sanctissimi prohibitivum de non celebrando festo s. Rochi nisi in Ecclesiis ejus nomini dicatis habeat locum etiam in locis ultra montes, in quibus vigebat et etiam hodie viget contraria consuetudo? Et Sac. Congr. mandavit inspici decretum et secundum illius formam mandavit responderi.

Die 27. Nov. 1638.

(Anal. J. P. 1863 p. 269 n. 1236.)

Massilien.

Monachi monasterii s. Victoris prope et extra muros civitatis Massiliae S. R. C.

supplicarunt, ut ad augendum fidelium ac praecipue nautarum devotionem ac pietatem, quam in divum Rochum prosequuntur, festum ejusdem s. Rochi cum Officio et Missa solemniter ibi recolere possint. Et S. eadem Congregatio responderi mandavit: obstare decreta.

Die 9. Aprilis 1661.

(Ibid. p. 371 n. 1708.)

Pius PP. VI.

Quum, sicut venerabilis frater Episcopus Oriolensis nuper exponi Nobis fecit, vehementer ipse cupiat, pro sua in s. Rochum pietate ejus cultum apud se propagare, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut ab universo clero saeculari civitatis et dioecesis *Oriolensis* ne non a religiosis et monialibus, utentibus calendario dioecesano, quotannis recitari Ritu dupli min. die 16. Aug. in honorem praedicti S. Officium cum Missa de communi confessoris non pontificis cum orationibus et lectionibus secundi nocturni propriis jam a fel. rec. Benedicto PP. XIV. praedecessore Nostro adprobatis, pro Ecclesiis archiconfraternitatum Urbis et civitatis Tusculanae, Deo in honorem ejusdem s. Rochi dicatis, libere ac licite possit ac valeat, fixe tamen adsignato in posterum primo die non impedito pro Officio s. Hyacinthi, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 30. Aug. 1796.

(Bull. r. Continuatio t. X. p. 36.).

ROGATIONES.

1) Comemorationes.

Vd.: *Litan. maj. etc.* (Missa, Orat.)

Ad dubium I.: Sub die 23. Maii 1854 S. R. C. decretit faciendam esse commemorationem festi occurrentis in Missa rogationum in Ecclesia, ubi non solet quotidie Missa decantari. Quaeatur ergo: utrum in omnibus Ecclesiis, ubi non cantatur alia Missa de festo occurrente aut de vigilia Ascensionis, debeat fieri commemoratione festi occurrentis aut ejusdem vigiliae in Missa rogationum et hoc etiam, si in eadem Ecclesia aliae Missae legantur de festo occurrente vel de vigilia?

II.: Utrum pro eodem casu in Ecclesia Cathedrali, ubi ex jure alia Missa sive de festo sive de vigilia cantari debet, sed de facto non cantatur, commemorationes occurrentes facienda sint in Missa rogationum?

III.: An pro iisdem diebus haec rubrica: In Missis privatis, si dicantur de Sancto, fit commemoratione rogationum, applicari debeat etiam, si in eadem Ecclesia et ab eodem clero cantetur Missa rogationum? vel Missa cantata de rogationibus sit motivum sufficiens omittendi commemorationem earumdem rogationum in Missis lectis de festo vel de vigilia?

IV.: Utrum iisdem diebus in Missis privatis de festo fieri debeat commemoratione rogationum, etiamsi Missa de rogationibus cantata vel cantanda sit in eadem quidem Ecclesia, sed ab alio clero, qui huc accedit stationem facturus et Missam celebraturus?

S. C. resp. *ad I.*: Negative et servandam peculiarem Missalis rubricam, nam in adducto decreto agitur de Ecclesiis, in quibus Missa de festo occurrente vel de vigilia omnino desideratur;

ad II.: Provisum in primo;

ad III.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam;

ad IV.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2188.)

2) Oblig. et tempus recitandi Litanias SS. in rogationibus.

In triduo rogationum post laudes recitandae sunt de pracepto, etiam extra chorum, Litaniae Sanctorum, quae non duplicantur, cum suis precibus. *Comm. unis.* Suntem pars Officii. Et quidem recitandae sunt proprio respective mane, nec possunt recitari Vespere pridie statim post matutinum et laudes Officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de Officio Defunctorum die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, quod recitandum est de pracepto etiam extra chorum mane illius secundae diei Novembris, nec potest anticipari in Vesperis, ex decreto S. C. R. 1. Sept. 1607 (Nota tamen, decretum hoc revocatum fuisse ab ead. S. C. R. alio decreto in una Ratisbonen. 4. Sept. 1745 *]. Quare nunc licet privatum recitare Officium Defunctorum die antecedenti commemorationem omn. fidel. Defunctorum; atque hinc ruit fundamentum a simili hic allatum.). Et sic docent *Tamburin.* in Decalog. lib. 2. capit: 5. §. 5. n. 7., *Stoz* lib. 1. part. 3. n. 417., *Merati* tom. 2. sect. 6. cap. 16. n. 5. cum pluribus ibi adductis et aliis; unde caute legendi sunt doctores contrarium sentientes, ignorantes fortasse praedictum decretum Sac. Congr.; tum quia ipsae Litaniae sunt loco assistentiae ad processionem, quae assistentia

*] Vd.: *Commem. Om. fid. def.* (Off. t. I. p. 330.)